







DE
MODERATA LACTANTIVM
VENERE

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. ET PHARMAC.

PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.

MOG. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIET.

DYCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,

ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. VI. IVLII CLIOCCCLXV,

PRO

CAPESSENDIS

DOCTORIS MEDICI

HONORIBVS IMMVNITATIBVSQVE

DISSERET

BERNHARDVS HERMANNVS MATTHAEI

KIRCHWHISTA - BREMENSIS.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

DE
KÖNIGLICHEN
UNIVERSITÄT
HALLÉ
AN DER SAALBURG

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT



PHYSIKALISCHES INSTITUT



V I R O
MAXIME VENERABILI, DOCTISSIMO,
CELEBERRIMOQVE,
D. IOANNI HENRICO
PRATJE,

SVPREMI, QVOD IN REGIO ET ELECTORALI REGIMINE
STADENSI EST, CONSISTORII A-CONSILIIS, ET DI-
OECOESEOS BREMA-VERDENSIS SVPERIN-
TENDENTI GENERALI

FAVTORI PROMOTORIQVE SVO

MAXIMA PIETATE AETERNVM

COLENDO,

NEC NON

V I R O

PLVRIMVM VENERANDO
DOCTISSIMOQVE,
D. GEORGIO CHRISTIANO
MATTHAEI,

IN TRACTV KEHDINGENSI PRAEPOSITO ET APVE
OLDENDORFENSES VERBI DIVINI MINISTRO
MERITISSIMO,

PARENTI OPTIMO MVNIFICENTISSIMOQVE,

A 2

MVNVSQV-

MVNVSCLVM

HOC ACADEMICVM,

SIMVL

TANTI VIRI

ET

TAM INDVLGENTISSIMI
PARENTIS

PERPETVAM INCOLVMITATEM
DEVM

HVMILLIME PRECATVS,

D. D. D.

BERNHARDVS HERMANNVS MATTHAEL.

DISSER.



DISSERTATIO SOLEMNIS
DE
MODERATA LACTANTIVM
VENERE.

PROOEMIUM.

Bene sapienterque disertissimus Romu-
li nepotum, CICERO: *Commune,*
inquit *), *animantium omnium est con-*
iunctionis appetitus, procreandi causa, et cura
quaedam eorum, quae procreata sunt. Homo
autem, quod rationis est particeps, per quam
consequentia cernit, causas rerum videt, earum-
que

A 3

*) In *Lib. I. de Officiis. Cap. IV.*



que progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque annectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias: eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis, et ad vitae societatem: ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, ut hominum coetus et celebrationes esse, et a se obiri velit: ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum; nec sibi soli, sed coniugi, liberis, ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat. Atque hic idem naturalis instinctus, connata illa atque ingenua ^{σὸν} impellit quoque matres, ut partum a se editum suo lacte alant, eidemque suas admoueant mammas, dulcissimo latice plenas, neque alio nomine aliquid veri decoris dignitatisque habituras. Barbara enim sit, oportet, et ab omni humanitate remota femina, quae, nisi valetudinis necessitate quadam coacta,



coacta, liberis, quos enixa est, mammas detrahit suas, lactandi officio defutura, easdemque ostentationi solum et tacitis libidinis illecebris conseruat. Praeter haec autem non satis est lactanti matri, materno hoc officio perfungi, sed interest quoque quam maxime infantum, lac ipsum, quo nutriuntur, optimae esse notae, purissimum, dulcissimum, elaboratissimumque. Proinde accuratam victus regiminisque, quod medici dicunt, rationem habere oportet lactantes; ne in tantum laedant infantulos, in quantum a recto hoc viuendi tramite recedunt. Ex his Veneris gaudia, si admiserint lactantes, vtrum puerulis lactentibus sint perniciosa, nec ne? dubiae quaestionis res est, et adhuc in medicorum scholis controuersae. Sunt enim, qui exinde lac pessime corrumpi, adeoque infantum valetudinem grauissimis offensionibus adfligi contendunt. Paucis contra ea, inter quos summus quondam Lipsiensium medicus, orbis que medici ornamentum, *Ioannes Zacharias*



charias PLATNERVS *), raro moderatoque
 Veneris vsu, si praecipue tacitae accesserint
 cupidines, non omnino penitus interdicaendae
 videntur lactantes. Nos ergo, differendi ma-
 teriem iam meditati, quae et academici spe-
 ciminis dignitatem tueatur, et publicae simul
 saluti prospiciat, hoc ipsum argumentum
 nec indignum hoc nomine aestimauimus, nec
 infructuosum. Scilicet hoc agemus, vt pri-
 mo et admissae, et intermissae Veneris expen-
 damus damna, deinceps subductis ratiociniis,
 quaenam ex his altera sit praestantior lactan-
 tibusque puerulis minus detrimentosa,
 exacte definiamus.



*) In *Dissertatione de victu et regimine lactantium*,
 §. XXXV.

CAPVT

CAPVT PRIMVM

DE

ADMISSAE VENERIS IN LACTIS SECRE-
TIONEM EFFICACITATE.

§. I.

LACTIS NATVRALITER CONSTITVTI
NOTAE.

An te omnia vero, quam de damnis, lactis secretionem naturamque immutantibus, rite et ad lectorum vsus accommodate institui potest disputatio nostra, interest omnino huius propositi, paucis exponere, quaeenam muliebri lacti a natura constituta sit conditio indolesque, et quibusnam notis eadem dignosci aestimarique possit. Neque vero in praesentia illud instituimus, vt omnem mammaram ductuumque, quibus istae lacteum suscipiunt laticem, anatomicen physiologiamque persequamur; quippe quae omnia nemo absolutius subtiliusque tractauit, quam illustris *Albertus de HALLER* a): sed hoc tantum volumus, vt, proposito quasi atque definito naturali lactis humani caractere, eiusque causis, ex fabricae humanae ratione deductis, vi-

B

tiorum

a) In *Elementis Physiologiae*, Tom. VII. Part. II. Libr. XXVIII. Sect. I. cui tamen addi adhuc meretur *D. Alexandri Bernhard KOLPIN* *Sebidiasma anatomicum de structura mammaram sexus sequioris*, Berolini c1800cc1xv. recusum,



tiorum quoque, ipsius indolem mutantium, perspiciantur rationes, et in primis eae, quae Veneris admissiōi aut intermissiōi debentur. Quod si igitur illum singularem succum, quem *lac* appellamus, ex recte valentium feminarum mammis desumptum, consideramus, liquorem nobis offerri videmus chylosum, album vel saltem ex albo coeruleum, leuiter spissum puraque aqua grauiorem, saporis grati et subdulcis, nec villa praeditum acritudine, adeo vt vel inter palpebras demissus demulceat magis, quam irriter, halitu denique distinctum volatili et nonnihil odorato. Praeter haec facillime acescit, et in multas aquosas, pingues, viscidas siue caseosas, et terrestres partes, leui negotio resolui potest: id quod quotidiana rusticarum feminarum experimenta, in vaccino lacte capta, declarant. Ex his igitur si optimae, quae quidem in lac cadit, bonitatis probitatisque notas collegeris, facile lubenterque consenties cum elegantissimi ingenii poeta Gallo, *Scaeuola SAMMARTHANO*, sic easdem, vt multa alia, praeclare definiēte *b)*:

*Optimus est dulcis lactis sapor, optimus albi
Est color, ingratum fugio quod spirat odorem,
Et quod, si ungue probes, aut crassum lentius haeret,
Aut fluidum cadit.*

Antiquas istas explorandi lactis rationes, quas *PAVLVS AEGINETA c)* et *ORIBASIVS d)* proposuerunt, lubens nunc emitto.

§. II.

b) In *Paedotrophiae Lib. I, pag. 62,*

c) In *Libr. I. Cap. III,*

d) In *Synopsi Lib. V.*



§. II.

CAVSSAE, VNDE LAC MUTATVR.

Verum enim vero si quando accidit, vt humorum, corpora humana permeantium, aliquis a naturali ordine desleat, atque vel minori maioriue, ac alias fieri solet, a reliquis secedat copia, vel prorsus aliam nanciscatur indolem atque *ἡπείσω*: tum profecto, ex luculentissimis anatomicorum physiologorumque demonstrationibus, huius mutationis causa vel ad ipsos illos ceteros humores, e quibus praefens fecernitur, vel ad ipsius visceris organique, in quo et conficitur, et adseruatur liquor, vitiosam adfectionem erit referenda. Videamus ergo, quonam modo his ex causis lacti quoque variae accidant mutationes. Quod si igitur *primo* reliquos, ex quibus lacteus confluit latex, humores exquiramus, praecipuam eiusdem materiem desumiprehendimus ex chylo, in subclauia vena sanguinem aduente, hinc ad dextrum cordis ventriculum, pulmones, sinistram porro cordis ventriculum, tandemque magnam arteriam delato, et inde per arterias ad mammas quoque aduecto *e*): aliquam tamen animalis pinguedinis et lymphae partem lacti quoque admisceri, proxima a vero est coniectura *f*); de nerui vero liquidi admixtione non profecto liquet. *Dein* autem, organa lacti, cum recipiendo, tum emittendo, destinata intuentes, inter praecipua om-

B 2

nino

e) Conf. Illustris de HALLER Libr. cit. §. XV. et Celeberrimus PLATNERVS in Dissert. citat. §. X. *f*) Conferantur *iidem* auctores loc. citat. Sed lymphae haec non per lymphatica vasa aduehitur, quippe reducentia; sed iis itineribus accedit, quibus chylus adfluit, eo inprimis tempore, quod a pastu est remotissimum.



nino numerare debemus ductus istos lactiferos, in mamma-
rum papillam definentes, ortos vero partim in glandulosa
mammarum compage ex arteriis mammariis hic vndique dis-
tributis, partim ex adiposa tunica dictae glandulae substra-
ta atque circumiecta *g*). Neque tamen praeterire oportet
illa, quibus ad sanguinem lac resfluere et ex lactiferis ducti-
bus velut ex fugi potest, vascula lymphatica, nuperis ob-
servationibus accuratius detecta *h*). Denique nervos quo-
que mammarios, ex thoracis oriundos *i*), attingere hoc
loco decet, quod iidem insigne in lactis itinera imperium
exercent.

§. III.

DE EIVSDEM ARGUMENTI CONTINUATIO.

Atqui ex iam disputatis (§. II.) facillime computa-
tum iri existimamus causas, vnde lac muliebri quomodo-
cunque viciatur. Quum enim chylus praecipuus lactis fons
sit, ad ipsius quoque indolem secretionisque modum in
primis attentum medicum hac in re diiudicanda respicere
oportet. Ergo secreti lactis aut copia, aut indoles vitio
laborabit, sicubi hoc in negotio natura a consueto ordine
desinat: tum prior iusto erit minor maiorque; posterior
vero multifariam esse potest vitiosa. Primo igitur lacteus
latex velut exarescere insigniterque imminui potest, ex par-
te elementorum suorum, si, quantum satis est, chyli nec
in intestinorum officina paratur, nec, obstructis forte chyli-
feris

g) Vid. HALLEERUS *Lib. cit. §. V.* et clarissimus KOELPIN in
Schediasmate citat. §. 57. seq. *h*) Conf. KOELPIN *loc. cit. §. 45. seq.*
et ibidem allegatae Illustris MECKELII ET MONROI *dissertationes.*
i) Videatur itidem KOELPIN *loc. cit. §. 34. seq.*



feris vasculis, sanguini adfunditur, aut si idem chylosus liquor spissior iusto crassiorque est, quam ut vltimos vasorum mammariorum fines ipsosque lactiferos ductus inire possit; porro quoque si et ipsa, quantulacunque ceteroquin esse solet, materiae pinguis ex cellulosa tela accessio infrequens est et parca, vel ob collapsas compressasque cellulas aut obstructa, quae huc abeunt, oscula ductuum quorundam lactiferorum, vel, quod tenuis huius pinguedinis in vniuersa sanguinea massa perparum est; tum denique, si et illa ipsa diluens lymphæ aut parcius cum chylo aduehitur, aut copia maiori a bibulis venis lymphaticis, in lactiferos canales hiantibus *k*), resorbetur. Ex parte vasorum vero, lacteos succos vehentium, et spasmodica contractio, et plurium absoluta obstructio, siue sit ab incendio producta, siue scirrhusa, multum omnino in efficiendo lactis valet imminutione. Iusto maiorem autem lactei ex mammis profluuii copiam efficiunt istae, quae prioribus iam expositis e transuerso quasi sunt contrariae, causae. Qualitatis autem peruersae et a natura aberrantis, quae saepe numero in lacte deprehenditur, multiplex est ratio; cum lac et chyli naturam indolemque non semper eandem sequatur, et subinde quoque inquinamentorum, in pinguedine animali reperiendorum, confors fiat particepsque. Commodissime tamen hoc omne, quidquid est vitii, tribus generibus comprehendi posse nobis videtur. Primo nimirum lac vitiosum euadit, si ipsae illae partes, ex quibus coire ipsum voluit natura, aquosae, terrestres, salinae, oleosae (§.1.), mixtionis proportionem mutant, aliaque, ac antea

B 3

copia

k) Idem conferri potest l. c. §. 45.



copia inuicem miscentur. Quo nomine lac habemus nimis tenue et aquosum, nimis crassam crudumque, nimis pingue, et e salina vitiositate mox nimis acidum, si a victu mere vegetabili aciduloque chylus prouenit, mox alcalescens, si aut diutius a pastu, chylo iam deficiente, magis potissimumque ex animali fero lac in suos tubulos mammarios secedit, aut victus animalis copiose sumtus chylo quoque animale, facile putrescentem, adeoque etiam alcalescentem inducit naturam *l*). Alterum huius generis vitium complectitur illa lactis humani inquinamenta, quae ex aliis naturalibus corporis humani liquoribus, alias per naturae institutum ad tubulos lacteos mammarum non adfluentibus, in has lactis vias, qualicumque vi impulsâ, delabuntur. Hinc in obseruationum medicarum commentariis passim commemoratur lac sanguinolentum, biliosum, vere oleosum et pingue, atque id genus aliud; quae omnia nunc subtilissime persequi, nec vacat, nec nostri refert instituti *m*). Tertiam denique horum vitiorum classem illud lac constituit, quod vel ex qualicumque materie morbosa, vitalibus feminini corporis succis intermixta, vel ex alienis plane nec ad humanam naturam pertinentibus rebus, verbi causa, alimentis, medicamentis, et ceteris, aliquas suscepit particulas, et adeo blandam illam indolem dulcedinemque deposuit, qua ceteroquin lac excellere solet. Quin etiam ipse naturalis lactis color exinde visus est mutari *n*). Morbosae materiae contagium demonstrat lac
venereum

l) Conf. Illustris de HALLER Lib. cit. §. XVI. in fine. *m*) Conferri tamen super his possunt HALLERVS lib. allegar. §. XIII. in fine, et Michael ALBERTI in Lexici realis Part. alter. pag. 571. seq. *n*) Videat. Illustris HALLERVS lib. cit. §. XV. pag. 26.

venereum, scorbuticum, purulentum, et cetera passim ab obseruatoribus medicis adnotata, si maxima humorum mater-
norum adfuit corruptio o). Quod vero illa quoque, quae
plane *ερερωγενή* dici possunt, lactis mixtioni interdum im-
misceantur, euidentissima quotidianorum experimento-
rum testimonia confirmant: quae, ne nimii hac in disputa-
tione simus, aliunde volumus repetenda p). Vtrum vero
huc quoque subtilior masculini feminis pars, saltem a femi-
ninis humoribus aliena, si a coitu resorpta sit, huc referri
debeat, nec ne? deinde commodiori loco dispiciemus.

§. IV.

CONGRESSVS VIRILIS IN CORPORA FEMININA
EFFICACITAS.

Haec vero de causis, muliebri lac peruertentibus,
fatis! Iam deueniamus ad eas mutationes, quas a viri
admissione feminae experiuntur. Atque hic quidem in adeo
subtili materie non absolutissime disputabimus: cum quod
ea, quae virginibus a primo congressu virili accidere so-
lent, ad nos, lactantium phaenomena in primis respicien-
tes, parum pertinent; tum quod etiam pudoris verecun-
diaeque rationem haberi oportet. Quotaquaeque *ergo vi-
ro facilis succumbit femina, siue officio voti, siue acta prurigi-
ne carnis q)*, duplex hoc ex actu, quod nec castissimi ne-
sciunt, effectuum persentificat genus: alterum fugax exi-
guoque tempore transitorium, et infœcundi euentus; alte-
rum

o) Idem eod. loc. pag. 27. p) Conferri v. c. possunt HALLERVS
in lib. allegar. §. cit. pag. 26. et PLATNERVS in Dissert. cit. §. X. in
fine; vt longe plures huc referendos scriptores nunc omitamus.
q) MERLINI COCCHI Opu, in Macoron. XXI. vers. 4. sq.



rum durabile, ad nouem plerumque menses et ultra persistens, et peractorum, foecundo prolis prouentu, luculentissimus testis. Atque hoc in tantum solummodo tan-
gemus, in quantum adhuc obscura lactanti feminae esse solent grauiditatis indicia; grauidam enim, sui status consciam, quis ferret lactantem? illud autem, vt instituti nostri interest, amplius exquisitiusque perpendemus. Feminae ergo in Venerem quomodocunque excitatae dum se admouet masculus, et in genitale illius aruum immittit illud, quo vir est, tenerrimas summaque sensatione praeditas has partes, vaginam inprimis et, quae anteriori ambitu ipsi conueniunt, gratissimo aequae, ac efficacissimo pruritu atterit, donec omnis exterior vaginae ambitus velut conuulsus contrahatur, et turgenti masculino coli arctissime adprimatur. Hinc vtriusque coniugis voluptas ad summum perducitur, impeditoque per pudenda haec vasa venosi sanguinis refluxu plexus, toti paene vaginae circumiectus, et nymphae, et clitoris, ob exquisitissimi sensus facultatem alias quoque amoris oestrum dicta, a congesto sanguine turgent, papillaeque neruosae vndique hic dispersae eriguntur; adeo, vt saepe numero omne neruorum genus, per feminae corpus distributum, in hoc, quicquid est singularis conuulsionis, simul rapiatur, et tota crura haud raro insciae inuitaeque feminae contremiscant, simulque interdum animus deficere incipiat *donec*, interprete IOANNE SECVNDOR), *deficiente voce anhelata, donec deficientibus medullis, membris languidulis, madens uterque sudabit varii liquoris undas, in*
femina

*) In Sylua V. pag. 266. edit. Parisiensis aut potius Goerringensis, c. l. c. c. x. x. x. x. x. v. i. i. i.

Ua 3991^b

X 2309089







DE
MODERATA LACTANTIVM
VENERE

PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. ET PHARMAC.
PROF. PUBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.
MOG. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIET.
DVICAL. FEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H.T. DECANO,

D. VI. IVLII MDCCCLXV,

PRO
CAPESSENDIS
DOCTORIS MEDICI
HONORIBVS IMMVNITATIBVSQVE
DISSERET
BERNHARDVS HERMANNVS MATTHAEI
KIRCHWHISTA - BREMENSIS.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

